



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 11. Analysis libri, de orbis terræ concordia, a Postello editi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. valent illæ infamiæ, quibus tamen a
A.C. 1581. nonnullis notatur. (*)

§. XI.

Analysis libri: de orbis terræ concordia, a Postello editi.

Postellus in suis libris *de concordia orbis terræ*, eo collimare videtur, ut omnes totius Orbis populos ad Christianam Religionem revocet, quem in finem opus suum in quatuor partiebatur libros, in quorum primo præfatæ Religionis veritatem primitius rationibus Philosophicis comprobare nititur, & de Dei, ac sanctissimæ Triadis perfectionibus, necnon de creatione Mundi, de morte Christi Domini, ejusque Divinitate, sacri Evangelii auctoritate, ac præcipue de immortalitate animæ differit

(*) Haud satis mirari possumus, quod Continuator noster hunc Virum tam amplis elogiis deprædicare, atque ejusdem scelera, ac deliria tam sedulo excusare voluerit, cum tamen passim omnes Scriptores etiam Protestantes, uti Basileenses Collectores in suo Lexico, & Scriptor des gelehrten compendiosen Lexicon, pluresque alii ipsum tanquam Virum depingant, quo magis fanaticum, Religionis contemptorem, ac impium nugatorem Gallia non tulit.

ferit, quam octodecim diversis modis Sæcul. XVI.
 comprobat. In secundo libro Christianos A.C. 1581.
 hortatur, ut studiis operam navantes Evangelium Mahometis Sæctoribus annuntient: porro postea omnes illorum opiniones refellit, atque Alcorani historiam describit, & prolixè admodum doctrinam ibidem contentam discutit. Tertius liber agit de falsarum Religionum origine, ac de Idololatria, necnon de gentium, & civili jure, ac de mutuis hominum officiis: denique in quarto differit præcipue de consona Mahometanos, Judæos, & Paganos ad rectam veritatis semitam reducendi ratione, ubi Judæis sectæ suæ falsitatem demonstrare, eisque Religionis Christianæ veritatem ob oculos ponere singulari studio nititur: scripsit præterea Postellus. I. *Clavem absconditorum a constitutione Mundi III.* tractatum de *Etruriæ Regionis Origine II.* de *Candelabro Moysis*, præter plures alios tractatus, qui tamen ad nostrum institutum non pertinent.

§. XII.

Joannis Baptistæ Camoti extrema.

Hoc item anno Italia quorundam Doctorum mortem plangebatur; inter illos enim primus obierat Joannes Baptistæ Camotus Afolæ, quæ est exiguum Thuan. l. 74.
 Tar-